

Zb
1522





AN. 3307

Zb
1522

DE CLARIS FISCHERIS

Nec non de Piscinis, Piscibus & Piscatoribus
memorabilia quædam, è monumentis Antiquitatis
& Historicorum eruta,

AD VIRUM

MAXIME REVERENDUM ET EXCELLENTISSIMUM

DN. CHRISTOPHO- RUM FISCHERUM

Ecclesiarum Göttingensis

Et vicinarum hæctenus Superintendentem, in E-
lectorali item Pædagogio S. Theologiæ Professore,

Cum is

Superintendens Generalis totius Göttingensis Pro-
vinciæ renunciaretur,

DISSERTATIO EPISTOLICA

JOACHIMI MEIERI. Profess. P.

GOTTINGÆ, Sumptibus GEORGI HENRICI ZIKLERI Bibliopol. Oſterod.

16.

7



Vir Maxime Reverende, Excellentissime,
Patrone ac Compater in primis honorande.

Cogitanti mihi, qua ratione Tibi gaudium meum, quod ex incremento dignitatis tuæ concepi haut sane exiguum, explicarem, in memoriam tandem venit solemne illud jejunium, quod à primis Ecclesiæ incunabulis, Apostolorum nempe ætate si Guilielmo Beveregio *in Codice Canonum Ecclesiæ primitivæ vindicato lib. 1. Cap. 3.* credimus, si vero Celeber. Wilhelm. Ernest. Tenzelio *Exercitat. select. part. poster. sect. 4. Tb. 37.* in sequenti ævo Patrū tempore, quod testimoniis Cassiani, Dallæi, Eutychie Alexandrini & aliorum evincit, *Quadragesimale*, vocari novimus. Jejunium illud maxima à carniū esu continentia, quarum vices pisces sustinere solent, tam olim, quam hodie etiam apud Pontificios celebratum esse nemo est qui ignorat. Tibi igitur V. M. R. qui non minus *Piscatoris* nomen quam officium geris; qui postremum majori jam cum augmento honoris, cujus splendoris partem Electorale nostrum Pædagogium, Te primariam in illa Professionem sustinente, haut immerito sibi vendicat, ornas; Tibi inquam cui multis nominibus obligatus sum, in debiti mei obsequii & infucati candoris tesseram munus aliquod pisculentum offerre constitui. Sed cave Tibi pisces exquisiti saporis, vel fercula ad elegantio rem gustum parata promittas, sale enim carent, quo tamen a benevolentia tua aspergi non desperant. *Minuti sunt pisciculi*, quibus vero olim Octavium etiam Augustum delectatum fuisse Svetonius *in ejus vita* memoriæ prodidit. Sed quo facilius cognoscas, cujus generis pisces mei sint, ad *piscinas* ut Te prius adducam necessum erit.

Piscina varias significationes è Scriptorib⁹ hic adducere nostri non est instituti. Non enim hic de *piscina* loquimur, qua omnes aquas sive calidas sive frigidas ad natandum collectas significat: qua cisternam pecoribus colligendæ aquæ pluviali instructam denotat: qua deniq; veteres omnia vasa lignea ampliora ad tenendam aquam explicare voluerunt, in qua significatione apud Scriptor. Ecclesiasticos sæpius invenitur, quamq; Durandus *Rational. lib. 1. c. 1. n. 39. p. 8.* his verbis describit: *Prope altare etiam, inquit, quod Christum significat, collocatur piscina seu lavacrum,*

id est Christi misericordia, in qua manus lavantur, ad notandum quod in baptismo & poenitentia, qua per illam significatur a peccatorum sordibus diluimur, quod a V. Testamento tractum est. Legitur enim Exod. quod Moses fecit labium aeneum cum basi sua in tabernaculum, in quo Aaron sacerdos & filii lavarentur, accessuri ad altare ut in eo offerrent tymiana: de qua piscina etiam loquitur Cardinalis Bona *rer. liturgic. lib. II. c. 20.* Concilium Salmuriense A. C. 1253. habitum *Tom. XI. concil. cap. III.* & Synodus Bajocensis A. 1300. c. XXI. & XXII. *Tom. eod.* De ejusmodi inquam piscinis hic verba facere nostri non est instituti: Sed tales volumus, quales describit Agellius *noct. Attis. lib. 2. c. 20.* quae piscibus vivis coercentur clausae: maria item stagna & lacus qui nullis septis includuntur, piscatorum tamen industriam exercere solent. Romanorum hic in primis mirari licet sumtus & magnificentiam in effodiendis piscinis, quibus non tantum voluptati sed etiam lucro erat, per abdita montium & invia illorum viscera piscibus iter facere. Luculli, quem Magnus ille Pompejus Xerxem togatum vocare solitus erat, nobis sit instar omnium, è cujus piscinis argumentum de aliis capere possumus, quarum memoriam Varro *lib. III. de re rustic.* hisce nobis reliquit: Contra, inquit, ad Neapolim L. Lucullus postquam perfodisset montem, ac maritimum flumen immisisset, in piscinas, quae reciproca fuere, ipsi Neptuno non cederet de piscatu. In Bajano aut Ardea tanta ardebat cura, ut architecto permisisset ut suam pecuniam consumeret, dummodo produceret specus è piscinis in mare, objectaculo quo aestus quotidie abortu luna ad novam proximam inchoare, ac redire rursus in mare posset, ac refrigerare piscinas. Illo etiam tempore, quo maximè celebres erant deliciae Popinales & ad mare deferebantur vivaria etiam alii è Romanis horum erant studiosissimi, quos inter Numantinus, Isauricus, Sergius Anrata, Licinius Murana, imo ipse Cato Uticensis, quos Cicero non minus facete quam eleganter piscinarios appellare solitus erat, teste Macrobio *lib. III. Saturn.* qui etiam addit, M. Catonem, cum heres testamento Luculli esset relictus, pisces de piscina ejus quadraginta millibus vendidisse, è quibus patet, quam refertas habuerint piscinas preciosissimis piscibus Romani illi nobilissimi. De luxuria Luculli in piscinis testis etiam nobis luculentus est Plinius *lib. 9.* qui de C. Hirio addit, quod is privatim muranarum vivarium excogitaverit, & cœnis triumphalibus Cæsaris Dictatoris sex millia numero muranarum mutua appenderit, quæ pretio aliave merce noluerit permutare. Hæc in piscinis sive magnificentia sit sive profusio, multorum res ad rastra sere redire fecit, fructu nempe impensa minus compensante, quod

quod Varro libro supradicto eleganter explicat: *Ille maritima, ait, piscina nobilium potius exinanivit marisupium quam replent. Primum enim edificatur magno, secundo implentur magno, tertio aluntur magno. Hirius circum piscinas suas ex edificiis duodena millia sestertium capiebat: eam omnem mercedem escis quas dabat piscibus, consumebat, nec mirum, uno tempore enim meminisse hunc Cesari sex millia murenarum matua dedisse in pondus & propter piscium multitudinem quadragies sestertio (i. e. centum aureorum millibus, si Budæo lib. 2. de Ass. fides habenda) villam venisse. Hanc non amplam nec latam sed modicam fuisse testis est Macrobius, qui in ceteris Varroni ex asse adstipulatur. Hinc etiam cum tantum redeat è piscatu, quod quidem ob profusissimos sumtus nullo Romanorum emolumento fieri potuit, factum esse puto, quod insequentia tempora, quæ majeri comodo minoribus vero impensis piscinis frui didicerunt, singulare sibi jus piscandi excogitaverint, & hoc *Regalibus minoribus* a numerarint, quod in eo positum est, ut licet maris & fluminum usus omnibus communis sit, per §. 2. 12. & seqq. *Instit. de rer. divis. l. 5. ff. Eod. Heig. part. 1. quest. 15, num. 17.* adeo ut etiam contra piscationem his locis prohibentes injuriarum actio competat *l. 13. §. 7. ff. de Injur. l. 2. §. 9 ff. Ne quid in loc. publ. jure gentium tamen Principi non ipsas piscationes, quod falso aliqui putant, quos vide apud Bocerum de Regal. cap. 3. n. 140. sed aliqua ex iis pars ut vectigal concedatur, Cunradt von Einsiedel de Regal. cap. 3. n. 340. quod non tantum de ea piscatione, quæ in publicis locis, ut mari & fluminibus publicis exercetur, præstandum est, sed & de piscibus in fluminibus, lacubus & stagnis privatis captis. Bocer d. l. n. 148. nisi quod hoc exceptionem in iis piscibus patiatur, qui custodia causa alicubi ut in piscina asservantur. Cunr. von Einsiedel. d. l. n. 342. Piscatus vero hic etiam in alieno lacu aut stagno institui potest, quia piscium eadem ratio quæ bestiarum & voluerium, cum quibus comparantur *l. 3. §. 14. ff. de acquir. vel amitt. possess.* quæ cum non possideantur fiunt occupantis. Potest tamen Dominus prohibere, ut quis invito in fundo suo ne piscetur *l. 16. ff. de servit. præd. & datur prohibenti contra eum qui abire nolit injuriarum actio l. 13. fin. ff. de Injur.* Sebast. Medic. *tr. de venat. piscat. quest. 2, num. 7.* qui tamen pisces quos cepit suos facit, Bocer. *n. 249.* Sixtin. *de Regal. cap. 18. n. 24.* De *Regal.* hoc anno 1609. CHRISTIANUS Daniæ Rex controversiam movit CAROLO IX. Sueciæ, qui Carolum libertatem piscandi a *Titisfiorda* usq; ad *Varangriam* sub decimarum pensione Gotheburgensibus in fraudem juris, fructuum & reddituum suorum**

rum & in maris diverticulo ad Regis Daniæ ditionem pertinente, contendebat. Johann. Loccenius *Histor. Svecan. lib. VIII in vit. Caroli IX.* Huc etiam commode referri poterit, famosissimus ille *balanarum piscatus* in Gronlandia cui Angli, Batavi, & Germani cum Danis ni fallor, Svecis & aliis sine discrimine incumbunt, in cuius descriptione multus est Olaus Magnus *Histor. septentr. gent. lib. 21. cap. 11.* *Piscatus item τῶν γλαυίδων ad Terram Novam Americæ Septentrionalis provinciam, commune Gallorum, Anglorum, Scotorum & Batavorum lucrum, qui etiam peculiarem Societatem Piscatorum Terra nova (Terre-Neufs Fahrer) inierunt: Piscatus Hippopotamorum in litoribus Novæ Zemblæ, quem è Martinierii Itiner. Septentr. describit Happel. p. 1. mund. mir. libr. 3. cap. 38.* *Piscatus denique halecis in Oceano Balthico aliisque Germaniæ Oceanis celebris, quem idem Olaus Magnus d. l. 20. c. 2. pertractat.* Hic etiam locum aliquem rarereri videtur *piscatus Margaritarum* in India tam Orientali quam Occidentali, qui a variis gentibus variis in locis exercetur, de quibus vide Happelium *Mund. mirab. part. 3. libr. 20. cap. 4.* & Christoph. Frikken. *in itin. & milit. Oriental. (Ost-Indianische Reisen und Kriegs Dienste) Pag. 145. & Sequ.* ubi piscatum hunc in Insula *Ceylon* perspicue & eleganter describit. *Piscatus item Succini* in Borussia, quem ceu Regale in primis exercet Elector Brandenburgicus, de quo vide Happel. *p. 1. l. 3. cap. 45.* Nec in conveniens omnino erit de *auripiscatu* hic quædam attigisse, quod in fluminibus quibusdam reperiri ajunt Historici. Hinc Poëtarum carminibus decantata *Pætolus Phrygiæ, Hyramis Caramanniæ, Thermodoon Cappadociæ, Chrysoyrhoas Bithyniæ, Artemidorus Arabiæ, Hebrus Thraciæ & Tagus Lusitaniæ* flumina: nec *Rheno* nostro, ut *Albim, Danubium & Salam taceamus*, aurum suum deesse dicitur, quod, si vera sunt quæ narrantur, *aureis Rhenanis* nomen & originem dedit. Quid, quod & hodie a quibusdam Principibus, quorum terras Rhenus lambit, hic *auri piscatus*, quem Germanice *Gold waschen*, aurum vero quod in fluviis colligitur *Wasch-Gold* appellant, tanquam Regale exerceatur, & *Andreas & Johannes Fridenbachii* fratres *Wormatienses* anno 1687 singulari pacto hunc piscatum à novissime defuncto Electore Palatino *Philippo Wilhelmo*, in parte aliqua territorii sui, qua Rhenus Manhemium & Oppenheimium alluit, sibi acquisiverint. De aureis Rhenanis vero qui plenius erudiri cupit, & an vere & unice auro fluviatili Rhenano originem & nomen debeant, legat *Alemanni Palastram Jurid. Consult. VIII. de Jur. Monet. Wehner. Observ. Pract.*

Pract. Verb. GoldGulden. Carpzov. ad Constit. Elect. lib. 2. c. 29. Struv. Decis. sabbath. c. XXXIV. Dec. 34. Sed ne longius a piscinis Romanorum aberremus, luxuriæ etiam sive potius insanix *Neronis* insignis monumentum nobis *Svetoni* in eius vita c. 31. reliquit, qui illam piscinam quandam a *Miseno* ad *Arvernum* lacum inchoasse dicit, connecta. & ne res inaudita novitate careret, porticibus conclusam, quo quidquid totis *Bajis* calidatū esset, converteretur. Convenit cum illo *Antoninus Heliogabalus* alter *Nero*, qui teste *Ælio Lampridio* in eius vita amicis suis momentarias de rosato & rosis piscinas exhibuit, & non nisi unguento nobili aut croco piscinis infectis natavit, de quibus piscinis tamen ad natandum modo paratis hic proprie sermonem non esse jam antea monuimus. Ad nostrates nos convertimus & quæ terris nostris propiores sunt, res memoratu digniores tantum tacturi. Non hic prolixus ero in describendis piscinis aquilonaribus, quæ cui lubet petere potest ex *Olai Magni d. l. 21. c. 24.* sed paucis tantum explicabo, piscinas aliquas etiam *Majorum* nostrorum temporibus tam sceleribus mortalium quam præstigiis dæmonum satis fuisse cognitatas. Ad primum quod attinet, piscina illa *puerorum* dicta vulgo *der Kinderteich* / cuius mentionem facit *Henricus Meibom.* in *Chronico Marienthal.* quod tom. 3. rerum *German.* extat, in memoriam mihi revocat aliam quandam, cœnobium aliquod monialium alluentem, in qua cum aqua emissa purgaretur, tot crania infantium trucidatorum reperta fuerunt, ut non tantum clarum de incestu, sacrilegio & infanticidio monialium testimonium, sed etiam causam dederint ut cœnobium illud funditus deleretur. Adeo vesaniæ mentes otiosorum & voluptatibus inescatorum hominum progrediuntur, ut sceleribus nihil intentatum relinquunt! Cum igitur præstigiis dæmonum iis in locis multum concedat voluntas Dei incomprehensibilis, non est mirum, stagna & piscinas quasdam piscatoribus invias a lemuribus factas esse, nec lintres aut retia pati, non quidem quod infanticidiis infames sint, sed multorum misere trucidatorum hauserint corpora. Hoc ut clarius pateat, in memoriam nobis consuetudinem illam crudelissimam revocemus necesse est, qua maiores nostri Diis suis mirum sibi placere putabant, qui vel captivos suos & mancipia ad fluvios mactabant, vel ingenuos dæmonum ritibus initiatos libereq; iis devotos morti tradebant. Argumento nobis est *Hertha* Dææ, quam *Romani Vestam* dixerunt cultus in *Germania*, quem *Tacitus de morib. German.* prolixè explicat, ibiq; addit servos huic Dææ ministrantes in *Insula* quadam *Oceani*, quam *Cluverius lib. 1.*

antiqu.

antiqu. Germ. cap. 47. Rugianorum, Trogillus Arnkiel vero in *Cultu Deor. apud pagan. Cimbr.* (Cimbrische Heyden-Religion) cap. 12. Heiligelandiam Holsatiæ esse argumentis adductis evincit, finito Deæ cultu, postquam vehiculum, cui illa agros visitans imposta fuit, & vestes, & si credere velis numen ipsum secreto lacu abluerunt, eodem lacu statim haustos fuisse, quæ sacra etiam reliquam Germaniam eidem Deæ ad altissimos lacus peregrisse docet Cluv. *d. l.* Non possum hic silere historiã quandam, quam ad lacum hunc in Rugianorum Insula contigisse memorat Cluverius *lib. 3. cap. 27.* Est hodie, inquit ille, in ea Insula parte, qua incolis vocatur *Jasmund* ad promontorium, cui vulgare vocabulum de *Stubben Rammer*, sylvæ densissima, incolis dicta de *Stubbeniz*, inq; ea profundissimus atra aqua lacus: qui licet piscibus mirum in modum scateat, opinio tamen tenet, retia eum ac scaphas non ferre. Quinimo, quum superioribus annis audaculi quidam piscatores scapham intulissent, postero die redeuntes, uti lacum retibus tentarent, scapham non in venerunt. Quod cum attoniti admirarentur, & quoquo versum circumspicerent, mox unus illorum animadvertit scapham procerissima fago impostam: quumque suo more ac lingua exclamasset: Quis omnium diabolorum lintrem arbori imposuit? (Welcher von allen Teufeln hat den Kahn auf den baum geführet) è propinquo vox nemine conspecto audita est; Non omnes id fecere diaboli, sed solus ego cum fratre meo Nicolao. (Alle Teufel haben es nicht gethan / sondern Ich allein mit meinem Bruder Klasen.) Ita scilicet etiam nunc malignus ille spiritus, in loco antiquissima idolatria contaminato, hominibus illudere non desinit; haut dubie dolens priscum sibi cultum venerationemque adempta. Hactenus Cluverius: quæ etiam Christophorus Arnoldi Norimbergensium Antistes *vov. in a. y. i. o. s.* in *Additionibus* suis ad *Alexandri Rossai* cultum totius mundi divinum *cap. 9.* repetit & confirmat. Conveniunt cum iis quæ è Cluverio adduxi, ea quæ *Cromerus lib. 9.* de lacu quodam in Polonia narrat. In *Cracoviensi tractu*, inquit, ad lacum quendam per amplum, infestatione demonum piscationibus & usibus hominum exemptum, & hyberna glacie concretum, vicinos, cum sacerdotibus vexilla, cruces & reliquas sacras, quibus vis demonum propulsaretur, ferentibus, piscandi gratia convenisse tradunt anno Christi 1278. Immisso autem reti, primo quidem tractu contendentibus piscatoribus, tres pisciculos, altero nihil nisi rete convolutum, tertio deniq; monstrum horrendum caprino capite & in speciem ignis ardentibus oculis extractum esse. Territis autem ac diffugientibus cunctis, spectrum illud

illud sub glaciem sese immerfisse: ac toto lacu discursans, terribilem stre-
 pitum ac sonitum edidisse, afflatosq; ab eo nonnullos homines, fœda ulcera re-
 voluisse. Hæc eum in finem adduxi, quo peripicuum fiat, sceleribus ac
 homicidiis infecta ac conspurcata stagna, lacus & piscinas, ludibriis
 dæmonum maxime patere. Accedit quod etiam plurima illorum
 cultu idololatriæ dæmonibus quasi consecrata sint, qui sibi impe-
 rium illorum eripi ægre ferunt, Deo ob peccata nostra illorum præ-
 stigia permittente. Priscos enim gentiles lacus, stagna & flumina,
 in magnam idololatriæ partem traxisse tam est verum quam quod
 verissimum, non tantum Ovidio hoc *libr. 4. Fastor. Disticho 168.* &
 Amm. Marcell. *libr. 23. de Vesta Romanorum* Almonis undis cum
 carpento abluenda testantibus, sed etiam recentioribus Scriptori-
 bus de *Lappionum & Indorum* stagnis & piscinis his calculum adjici-
 entibus. Prius vero quam piscinis relictis ad pisces progrediamur,
 hoc addere lubet, *piscinarum* nomen quod etiam vernaculum no-
 strum *Werder & Weier* explicat, multas familias sibi gentilitium
 sumisse. Hinc celebrantur inter Nobiles Germaniæ *die von Weier*/
 quorum etiam monumenta hastiludiorum (ita enim vocant quæ no-
 stri *Turnier*) mentionem faciunt; *die von dem Werder*; *die von*
Werther; quibus etiam annumerandæ urbes, quæ ab ejusmodi vo-
 cabulis nomen habent, ut *Bischofswerda* in Misnia, *Werdheim*/
Donawerde & aliæ quæ in tabulis Geographicis facile inveniuntur.
 Familia Nobilium *von Fischborn* /cujus in hastiludiis *Bamberga 1362.*
& Darmstadii 1403. habitis mentio fit, quæq; vetustissimis claritate
 non concedit, huc etiam commodè poterit cum aliis quæ mihi et-
 iam non occurrunt, referri.

Ad ipsos jam *Pisces* progredientes palam hic confitemur, nos
 non *halientica* quædam composituros, id enim instituti nostri ra-
 tio non permittit; sed ea tantum quæ ad antiquitatem vel historiam
 pertinere videbuntur levi quasi brachio attacturos. *Piscium* ma-
 gna & varia celebritas est apud Veteres, adeo ut etiam locum in-
 ter stellas invenerint. Originem hujus rei ab idololatria *Syrorum*,
 qua pisces divinis honoribus affecerunt esse derivandam, magna Scri-
 ptorum est conspiratio. Licet enim *Arati in Phænomen.* Commenta-
 tor hos pisces in *Euphrate* flumine fuisse, & ibi ovum miræ magni-
 tudini

tudinis invenisse fabuletur, quod volventes ejecerint in terram, atq; ita columbam infedisse & diebus aliquot exactis Venerem Syriæ exclusisse: In sequentibus vero sibi quasi contrarius narret, *Pisces* eam ob causam inter astra collocatos esse, quod decidens in *Bæth* stagno *Phacetiæ* filia Veneris in piscem sit mutata, quam Syri Deam nominarint, sive quod hanc Veneris filiam in stagno *Pisces* servaverint: Julius Hyginus *libr. 2. Poet. Astron.* deniq; illos laborantem quondam Isim servasse existimet: In eo tamen omnes conveniunt, quod hæc in Syria contigerint, cujus incolæ eam ob causam piscibus abstinerint, & eorum simulacra aurata pro Diis Penatibus coluerint. Hinc est quod totam Syriam pervagatus sit famosissimus *Atergatis* cultus quam alii etiam *Derceto* appellarunt, de qua Diodor. *Sicul. lib. 3.* scribit, eam Nympham fuisse, sed gravidam postea factam, à quo autem ignoratum, *Semiramidem* peperisse, erroris vero sui pudore affectam, se in quendam Syriæ lacum abjecisse, atq; inde ab iis populis pro numine cultam, in *piscem* se convertisse creditum, & hinc factum esse, ut à piscium esu abstinerint, qui in eo lacu essent, quos omnes illi Deæ sacros fuerint arbitrati. De hac *Atergatis* ejusq; cultu singularem librum incomparabilis fere eruditionis edidit Anglus ille semivir [Comitissæ scilicet matrimonio copulatus, qui ita dicebantur, quod natalibus & vitæ genere fortunæ tali impares, privilegiis virorum plene non gaudebant] Joh. Seldenus *de Dea Syria.* Huic etiam annumerandus Philistæorum in sacro Codice sæpius memoratus *Dagon*, cui *Asdods* famosissimum erat fanum. An is ipse Græcorum *Triton* sive *Neptunus* an vero Syrorum *Derceto* aut *Amphitrite* sit, multi ambigunt. Seldenus *d. l. Synt. 2. cap. 3.* illum cum *Derceto* sive *Atergatis* omnino convenire contendit, & testimoniis è *Beroso*, *Apollodoro* & *Helladio* adductis probat, illum cauda licet piscina, pedibus tamen etiam humanis instructum fuisse, quod communis & pervulgata fabula fuerit, monstrum aliquod marinum è mari rubro ascendisse, capite, manibus pedibusque homini simile, cauda vero pisci, hominesq; varias artes docuisse, qui illud sub nomine *Oannis* divinis honoribus tandem affecerint; An hæc cum *Mose* Judæorum legislatore conferri possint, jam disputare nequeo. Arnkiel *d. l. cap. 6.* *Dagonem* Tritoni similem vultu juvenis non inamœno effinxit. Huic etiam valde vero videtur simile, omnem illum cultum
mari-

marinorum Deorum, quin & nomina *Tritonum, Syrenum* & aliorum monstrorum partim à præstigiis diaboli, partim à vere existentibus ejusmodi monstris, à quibusdam interdum visis & rei novitate pro Diis habitis, initia duxisse. Nam ad ejusmodi monstra quod attinet, è scriptis illorum qui peregrinas incognitasque terras emensi sunt, liquet, vere ejusmodi monstra inveniri, qui hominibus utriusque sexus per similes pubetenus omnia illorum membra referant. Ad fabulam de *Syrenibus* referri poterit, quod quidam de gente aliqua Indiæ, cujus nomen mihi excidit, tradit, monstra ejusmodi marina foeminei sexus, quæ pulchritudine etiam indigenas vincant, cœlo sereno in litore se explicare, & cum incolis maribus libenter coire, qui è commistione illa, quam tamen avide appetunt, scabiem incurabilem quæque illos tandem morti tradat, reportent, adeo ut Principi sive Regi ejus loci capitis pœna proposita hanc libidinem, quæ incolas ita misere affigit, coercere necessum fuerit. Daniæ litoribus etiam non insolita ejusmodi monstra fuerunt, & Saxo Grammat. lib. 1. de Rege *Haddingo* in ejus vita refert, quod in litore ambulans, à tali monstro fuerit appetitus, cum quo tamen congressus, vitam illi eripuit, victoriamque reportavit. In Russiæ quodam lacu *Tachnia*, pisces reperiri ait *Petreus in Moscovia*, qui ore, capite, manibus pedibusque, omnibus denique membris hominem referant, voce tamen, sermone & ratione illos carere. Quin & prioribus temporibus *Syrenes* & *Tritones* illi, vere existentes non fuerunt incogniti. Si enim *Plinio* libr. 9. natur. Hist. fides adhibenda, *Olysiptone* Tiberii Principis tempore legati Romam missi sunt, qui nunciarent, Tritones buccina sonantes illic esse auditos & a plurimis visos. Cui ad stipulatur *Alexander* ab *Alexandr.* lib. 3. *Genial. dier.* se a quodam certæ fidei homine audisse referens, quod cum esset in Hispania, marinum hominem & vultu & corpore prorsus humano pubetenus, postremis vero in piscem desinentibus viderit ex ultima Mauritania & Oceani finibus allatum. Fuisse autem facie hominis ætate ad senium vergentis, capillo & barba hispida & hirta, colore cœruleo, corpore procero & humano majore, alis quoque tenui cartilagine, quibus marinos fluctus secabat & membrana passim interlucente munitum. Idem ille ne hoc

comentum videretur *Theodori Gaze* auctoritate confirmat, qui dum in Peloponneso ageret, tempestate orta, cum quaedam monstra ad litus allisissent, *Nereidem* vidit in litore, fluctibus expositam, viventem iam & spirantem, vultu parum ab humano abhorrente, facie quoque decora neque invenusta specie, corpore ad pubem usque squamis hirto, nisi quod cetera in locustae caudam desinebant. Hinc igitur factum esse, quod Poetae *Nereidum* pulchritudinem carminibus celebrent; illarumque formam super omnes efferant. Talem quoque *Nereidem* ancillae quaedam Batavae, anno 1403. dum cymba flumen trajicerent, in litore caeno undique foedatam invenerunt, quae rei novitate primo stupefacta tandem collecto animo illam in cymbam traxerunt: Haec etiam colum tractare edocta & usitatis ferculis assvefacta per plures annos vitam sine voce, licet non sine gemitu & suspiriis Harlemi duxit, ibique defuncta in coemeterio publico sepulta fuit. Exemplum haec satis probant, monstrorum marinorum & piscium cultum a veris monstris duxisse originem, quibus illusiones maligni spiritus etiam accesserunt. Et ne cui hoc mirum videatur *Japonenses* etiam hodie *pisces*, Deos suos dimidia corporis parte deglutitos horribili oris rictu tenentes, divino cultu prosequuntur. Nec multum ab illo abhorret veneratio, qua *Lappiones* nostro etiam tempore *pisces* sibi sacros habent, observant, & cavent ne quid immundi piscinis istis, quas lingua sua *saiwo* appellant, miscatur, quin etiam e piscium illorum migratione in alium, priori contiguum lacum, sibi nescio quam Deorum suorum iram portendunt, quae pluribus apud Scheffer. in *Lapponia Cap. 34.* legi poterunt. Lappionibus olim similes *Aegyptii*, qui id genus piscium quod squamosum vocatur atque etiam anguillam sacram arbitrantur. Herodot. lib. 2 Si vero Straboni lib. 17. fides, omnes *Aegyptii leptidotum & oxyrynchum* pisces coluerunt, cui postremo singularis cultus & templum in civitate *Oxyryncho* fuit. *Latopolisani* pisci *lato*, qui in Nilo reperitur, templa & altaria instaurarunt, qui cultus in hac praefectura Aegypti tantum in usu fuit, reliquis *Latum* piscem non aequae venerantibus. Ne vero quis *Aegyptiorum* prudentiam cum necromantia & stoliditate *Lappionum* confundat, cum utriusque circa piscium cultum delirarint, monendum

dum hic, quod cum primi illi magnopere hieroglyphicis delectati fue-
 rint, arcana etiam sive mystica sub hoc cultu lateant. Piscis enim
 aut silentii & taciturnitatis signum est, cum organis quibus vocem
 edunt animalia careat, & proverbio *mutus tanquam piscis* locum de-
 derit, cui etiam adstipulatur elegans illud emblemata quibus pesca-
 tus in domo aliqua venatoria *Veneri Royale* dicta, Ducis Sabaudia
 depingitur, quod Nympham aliquam rupi insidentem & perticam
 manu tenentem visentibus offert, quae digitis ori impositis sociis
 silentium praecipere videtur, hac addita inscriptione Italica: *sperare*
& tacere: Aut lubricam fortunae & temporis inconstantiam deno-
 rat, cum pisces, in primis squamis carentes, tenentibus facile ma-
 nibus excidant. Hinc etiam factum esse putat Trogill. Arnkiel in
Cult. pagan. Cimbr. cap. II. quod Veteres Germani Deum suum quem
Saxer dixerunt, quiq; idem cum Romanorum *Saturno* est, & ean-
 dem cum illo temporis significationem gerit, nudis pedibus dorso
 piscis alicujus insistentem finxerint: quod tamen Christoph. Arnol-
 di in *Addition. ad Alexandr. Rossaum cap. 7.* de constantia explicat &
 imperterrita virtutis vi, qua *Germani*, in primis *Saxones*, quibus
 idolum hoc maxime cultum fuit, per omnia etiam periculosissima &
 aliis inaccessa loca penetraturi sint. Aliis *sanitatis* argumentum pi-
 scis est, quod etiam proverbium illud, *sanior pisce*, explicat, quia
 pisces vulgo morbos non sentire creduntur, cui sententiae tamen
 contrarius est Aristoteles: Aliis contra oppressionis iniquae, rapa-
 citatis & injuriarum, quo brocardicum illud, *pisces magni parvulos*
comedunt, pertinet, quod de potentioribus minores opprimenti-
 bus dicimus. Aliis parsimoniae, unde *piscis repositus*, quod, cum
 olim pisces in deliciis fuerint, de iis loquitur, qui prudenter ali-
 quid in usum reposuerunt futurum. Cum igitur piscis tot myste-
 ria contineat, nullum est dubium, quin Aegyptii Sacerdotes, qui
 singulari & hieroglyphico scribendi genere utebantur, quod ad
 alios etiam Africae populos quin & ad Americanos commercio ho-
 rum pervenisse & adeo hodie apud illos in usu esse docet Clar.
 Tenzel. in *Colloqv. monstr. anni 1693. mens. Novembr. p. 916.* unum
 ex illis vel etiam plura rudi plebi proponere voluerint, quo vir-
 tutes, quibus Diis similes fierent, imitarentur, vitia vero fugerent.
 Non vero omnino negandum diabolum hoc cultu caecis gentibus
 lucum fecisse, & venena sua prudentissimorum etiam doctrinae ad-

miscuisse, cum & hodie *Chinensibus*, sagacissimo alias populo, hoc nomine imponat, & in draconis marini vel alius grandioris piscis specie illis appareat, quem tanta veneratione prosequuntur, ut etiam exteris nationibus aliquid facere vetent, quo miseri illi iram ejus provocari putant; quæ omnia addita lepidissima historia pluribus explicat Neuhof. *in Itiner. suis fol. 99.* Sed non tantum apud *Aegyptios*, quorum *Sacerdotes Isis* tamen Piscium tactu & esu etiam abstinabant, *Syros* & *Lappiones*, piscium cultus viguit; *Romanis* etiam tanta illorum fuit veneratio, ut licet Oceano & fluviis fere singulis Deos suos Deasq; aut Nymphas fecerint, *Jovi* tamen peculiare cognomen *piscii* addiderint, quo vel imperium ejus super omnia, vel pluviae, cui præesse dicebatur, cum piscibus miram sympathiam, vel etiam singularem exactis imbribus piscandi felicitatem, significarunt. In hujus *piscii Jovis* æde fœdera & pacta cum exteris gentibus inita nonnunquam in clypeo ligneo aut corio bovis immolati referente Alexand. ab Alexandr. *lib. 5. gen. Dier. c. 3.* scribebantur. Nescio etiam an superstitio an strategema politicum fuerit, quod Augustus sibi maris imperium per *piscem* è mari ad pedes suos proficientem portendi voluerit, cum iam omni destitutus spe Sext. Pompejum debellandi ipse naufragus & vix vitam tolerans Italiae litoribus appulisset. Dio Cass. *libr. 49.* A Græcis certe ad Romanos manavit hæc superstitio, nisi malumus piscium cultum omnibus populis qui litora maris & fluminum nobiliorum ripas coluerunt quasi per conspirationem contigisse. De Achæorum enim oppido *Pharis* refert Pausanias *in Achaic. libr. 7.* flumen ibi *Hamam* Mercurio sacrum esse *piscibusq;* incolas parcere, quod sacros Deo putent. Affinis huic cultui metus ille apud *Agiates*, quorum oppidulum non procul *Croceis* vico Lacedæmoniorum est. Eo enim loco stagnum esse, quod Neptuni dicunt, idem ait Pausanias *in Lacon.* è quo pisces accolæ extrahere metuunt, quod, qui eos ceperint ex hominibus in pisces mutari dicunt. Ex his liquet totum fere orbem hac *ix. Supplicia* sive *piscium idololatria* fere correptum fuisse. Nolumus igitur in re tam clara prolixiores esse, sed videamus potius an non etiam *pisces* sacris adhibiti & quis illorum in iis usus fuerit. In sacro Codice ne vestigium quidem invenimus, quod piscibus Hebræi in sacrificiis usi fuerint, procul dubio quia abhorruerunt

ruerunt à superstitione Ægyptiorum, quorum sacris Deus cultum suum apud Judæos è diametro, ut loquuntur, contrarium esse voluit, quicquid etiam alii dicant. Longe aliter se res apud alias gentes habebat. *In Lycia enim in Apollinis fonte* (sunt verba Alexandri ab Alexandr. lib. 1. cap. 29.) & *in Medorum lacu ad Neptuni aquas Ly-mira pisces* (ichthyomantes intelligo, quod alio loco affirmat) *auspicia facere tradunt: ubi à consulentibus evocati ad avitum veniunt: quò si objectas carnes diriperent & pascerentur, felicia portendere, & presens auspiciam facere, imperiumq; brevi futurum interpretabantur.* Quid, quod & singulis Diis singuli & peculiare pisces apud alios sacri & immolati fuerint. His *insolita & mira quadam de piscibus* quæ narrantur addere, operæ erit pretium. Lippis notum est & tonsoribus aquam propriam piscium elementum esse, qua si carent, longus illis vitæ usus esse non potest, quod & proverbii nostris originem dedit: *Fische wollen gern im Wasser seyn.* Item: *Einem Fisch ist nicht besser denn im Wasser:* quibus utimur loquendo vel de bibulis potoribus, vel de iis qui vitæ institutum præter naturam sequuntur: In Gallico agro tamen, qua induceretur aratrum, subexistentibus glebis pisces emerfisse, auctor est Livius *libr. 42. cap. 2.* quod etsi ab illo inter portenta refertur, à Pomponio vero Mela *libr. 2. de sit. orb. cap. 5.* inter ea quæ vel veri ignorantia, vel à prudentibus etiam mendacii libidine tradita posteris sint, Happelius tamen *Mund. mirab. part. 3, cap. 19.* totus in eo est, ut *Aristotelis, Theophrasti, Plinii, Strabonis & Seneca* testimoniis aliisque rationibus probet, hoc licet insolitum sit, non tamen portentum esse. Cum enim aqua per terrenos meatus & concava antra currat, etiam pisces in illa gigni necessum esse, qui cavitare aliqua terræ reperta, quæ humidum illis nutrimentum præbet, semper altius in foraminibus ascendant, donec tandem perforata terra ipsi emergant, vel casu eruantur: Alias insuper rationes hujus rei è *Theophrasto, & Athanasio Kircherò d. 1.* adducit. Et ne cui hoc figmento videatur simile, hanc rem etiam in Germania nostra frequenter accidere, & pisces, quos vernaculo *Beißer* appellitant, in *Misnia* trans Albim ad flumen *Reder* effodi testimonio Georgii Fabricii e Gesner. *lib. 4. de Aquatil. pag 443.* probat. *Quin & Eodem Capite* pisces lapidibus undiq; inclusos, in Italia inveniri, in illis vivere & nutriri, èq; illis erutos ab incolis haut inter ingrata fercula numerari i

numerari è Nierembergio narrat. Cum igitur ex his constet, pisces e terra & lapidibus eratos, inter portenta minime numerari, suo tamen merito locum in illis inveniet inusitata illa & cruenta *piscium pugna*, quam prope *Comorram* anno 1691. in flumine ibi tanto fervore commissam nobis narrarunt Diaria, ut aquam sanguine suo tinxerint: quod prælagium insignis Turcarum clades multo effuso sanguine secutum est. Piscibus è terra natis merito annumerantur illi, quos è frondibus arboris *Joverna* fluvio imminentis in aquam collapsis nasci refert Jul. Cæs. Scaliger. *de Subtilit. Exerc. LIX* Putat ille quidem eam arboris hujus naturam esse, ut frondes in aquam collapsæ piscium formam induant & deinceps vivant, sed nisi vehementer fallor, pisces illos e semine aliorum, frondibus arboris alluvione crescentis fluminis asperso natos, vero magis erit simile. Idem etiam dici potest de pisciculo in digito *Piscatoris* cujusdam Montispeliensis nato. Cum enim piscis, quem incolæ *Rascasse* vocant, digitum illius morfu læsisset, tumor qui inde secutus, tantos dolores homini creavit, ut Chirurgo adhibito illum incidere necessum fuerit: quo factò pisciculus in vulnere inventus, qui forma huic a quo læsus fuerat per erat similis, de quo, quod scilicet e semine lædentis natus fuerit, & qua ratione hoc fieri potuerit multis disputat Borellus *Observ. Medico Phys. Cent. 1. Obs. 28* qui etiam *d. l. Observ. 9.* de Nobilis cujusdam uxore in Aquitania relatum reliquit, quod vomitu *piscem* sex digitorum longum, illumque viventem eructaverit, qui eodem modo, Borello judice, in ventriculo vivere potuit, quo alii in aquis calidis vitam sustentant, in frigidam vero deportati statim moriuntur, de quibus *Vernberus, Agricola, Matthiolus, Baccius & alii.* An etiam *in aère pisces generentur* & cum pluvia in terram decidant, hocque portento proditionem significari velint, an vero vento pisciculi in altum rapti pluvia recidant, hic quidem pluribus disputare nolo: Neque illud an verum sit, quod P. Martinus Martini in *Atlant. Chinic. Descript. provinc. Quantung. f. 137.* miraculum naturæ vocat, *Piscem* aliquem propè urbem *Hoeichen*, cui vernaculo sermone nomen ex ave & pisce componunt, æstivo tempore in avem colore luteo mutari, autumnali vero se iterum aquis immergere, & piscem exquisitissimi saporis fieri,

Si, quia illud incerto nititur *Chinensium* rumore, licet de *alaris piscibus*, halecibus ferè similibus, communi piscium aliorum & avium marinarum prædâ, res experientia apud cunctos satis probata sit, & omni prorsus careat dubio. Mira est insuper quorundam *piscium vis*, qui solo contactu variis morborum generibus homines afficiunt, dimissi vero illis iterum liberant, quod de *Febrio* pisce Insulæ *Zelonis*, qui manu prehensus febre affligit, narrat idem Scaliger *d. l. Exercit. 218*. De alio quem Batavi *Erlfisch* vocant, affirmat Herport. *in Itin. Indic. pag. 16*. quod contactus ejus brachium torpore subito corripiat ut officium suum manus amplius facere non possint. *Xifi* quos Siculi *pesci spada* appellant, quorum magna copia ad *Messanam*, non capi posse dicuntur, nisi piscatores lingua Græca utantur, quod etsi ridiculum, communis tamen apud incolas hujus Insulæ est opinio. Happel. *mund. mir. part. 1. libr. 3. c. 30. & part. 3. libr. 3. c. 5.* *Piscibus* etiam memoriam quandam ex anima sensitiva superesse, exempla illorum testantur qui sonitu aliquo vel voce evocati ad pabula ascenderunt. In Insula enim quadam Padi, quæ splendidum palatium cum piscina contigua olim habuit, pisces longa consuetudine edocti, ad tintinabuli sonitum omnes ad escam capiendam convenisse, dicit S. de Uries *in Theatro Histor. p. 393*. Conveniunt hæc cum illis quæ Olavus Magnus *Histor. septentr. gent. libr. 20. c. 12.* de ingenioso piscatu ope campanulæ in superiore retis parte suspensæ tradit, ad cujus sonitum pisces gregatim conveniant soni dulcedine capti, & ita tintinatum nolæ mirantes apertis insidiis capiantur. De *Murana Crassi* vocem domini tripudio excipiente, & cibum è manu ejus rapiente vide Macrob. *Saturn. lib. 3. cap. 15*. Quod etiam de *Formianis* confirmat Martialis *lib. 10. Epig. 40. v. 22.*

*Natat ad magistrum delicata murana,
Nomenclator mugilem citat notum,
Et adesse jussi prodeunt senes nulli.*

De *Bajanis* vero *lib. 4. Ep. 30.*

*Qui norunt dominum manumq, lambunt,
Quid? quod nomen habent & ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus.*

C

De

De *Antonia* etiam Drusi uxore *muranam* ita impense amante ut unionem, quem auri appensum gestabat, illi sæpius apposuerit, res apud Scriptores est notissima. De *Muranis* vero & *percis fluvialibus minoribus* a Russis aspersa nive trahis suis, impositis, & biduum cum in Livoniam portantur vitam in congelata illa nive ducentibus, vide Auctorem *miracul. natur. Discurs. 6.* De insolitis & miris piscibus hætenus. De monstris vide *Happel. mund. mirab. part. 3. lib. 1. c. 17. & 18.* *Ola. Mag. d. l. lib. 21. c. 9.* & *Anton. le Grand Institut. Philos. part. 7. Artic. 21.* Illorum differentias quoad loca & tegumenta, quomodo propagentur, an respirent per attractionem & remissionem, quomodo in aqua sustineantur & progrediantur. *Eund. d. l. qua ratione capiantur à gentibus septentrionalibus, Olaum Magnum d. l. 20. cap. 10. 11. 12. 13. 14. & l. 21. c. 1.* ab Indis Orientalibus, *Christoph. Frikken Itin. Ind. Orient. p. 235.* à Japonis, *Christoph. Arnoldi in Notis ad Carion. Japon. Quest. 28. p. 243.* Addamus etiam deliria *Heliogabali* circa pisces, qui illis ex vivariis suis bubus traxit, illosque semper quasi in marina aqua cum colore suo coctos conditura veneta comedit, & hoc quidem nunquam ad mare, sed in longissimis a mari locis omnia marina semper exhibuit. *Muranarum* lactibus & luporum, in locis mediterraneis rusticos pavit, teste *Ælio Lamprid. in ejus vita.* Et hæc quidem ille insania correptus fecit: Nostri majores vero in insulis *Rheni* piscibus tantum & ovis avium vixisse existimati sunt. *Cæsari lib. 4. de bello Gall. cap. 10.* quod etiam populi quidam *Indiæ* facere dicuntur, quos tantum pisces alere dicit *Pompon. Mela lib. 3. cap. 7.* Romanorum cœnis contra quidam interdicti fuerunt. Fertur enim, teste *Alexandr. Neapol. lib. 8. gen. dier. cap. 7.* *Numæ edictum*, ne pisces, qui squamosi non essent, ad pollinctum emere fas foret: scilicet ne nimis magno in funeralibus cœnis mercantentur obsonia, quam cœnam pollincturam dixere, in qua etsi nihil deesset, omniaque affatim suppeterent, latari tamen minime decebat. *Ichthyophagi* piscibus frumenti loco vescebantur, & ex iis panes conficiebant, *Id. c. 11.* Apud incolas paludis *Prasiadis* pisces equis & subjugalibus erant pabulo, quia tanta illorum iis dicitur copia fuisse, ut quoties quis januam compactam reclinaverit, demissam fune sportam vacuum, aliquanto post retraxerit piscium

sciura

scium plenam. Herodot *lib. 5.* Tanta vero est *Piscium* celebritas, ut etiam multis argute dictis & proverbii locum dederint, quorum aliquot jam antea explicui. Ita Nero fortunæ suæ confusus, amissis naufragio pretiosissimis rebus, non dubitavit inter suos dicere *pisces eas sibi relatueros*: Et hoc quidem exemplo *Polyeratis* Regis Samiorum qui pretiosissimum anulum digito detractum, marique traditum in ventriculo piscis repererat: quo brocardico utimur, cum jacturam rerum nostrarum magno animo ferimus, & illam mox aliunde refarturam nobis fore promittimus. *Piscis nequam est nisi recens* Erasmus de illis explicat, qui hospites primo non ingrati, at triduo exacto molesti fiunt. *Piscis primum à capite foetet*, quod nostri exponunt, Wenn das Haupt krank / so trauren alle Glieder; à superiore enim corporis parte pisces incipiunt putrescere. *Piscis sale*, de re absurda & incredibile utimur: haut enim vero est simile, pisces in mare degentes, opus sale habere. *Piscium ea est vita*, convenit cum illo quod jam antea exposuimus, *pisces magnos parvulos comedere*, & utitur illo Polybius *lib. 15. Historiar. cap. 20.* contra homines inhumanos, *ægyptus* & perfidos. *Nullus malus magnus piscis*, de hominibus prægrandi quidem corpore, ingenio vero nullo dicitur. *Piscem natare docet*, perinde est, ac si dicas noctuam Athenas portat, aut doctum docet. *Aut piscem olet aut florem*, de iis dicimus, qui grato odore perfusi bene olent. *Piscari in aere*, est frustra laborare. Nec nostri suis argutiis carent. *Es fischet sich wol / wer wol fangen könte* / de iis receptum, qui magno conatu diu frustra laborant. *Fischen / sauffen/bulen und jagen macht ledige Beutel*; satis seipsum explicat, neminem enī latet, hæc parum commodi rei familiari afferre.

Fische fangen / Vogel stellen /
Verderben manchen Schuel-Gesellen.
Per pisces & aves multi periere scholares.

Adolescentes nobilioribus literis deditos monitos vult, ut temporis sui rationem habeant, nec illud, cujus jactura irreparabilis, ineptiis transire patiantur. Convenit cum illo:

Fische Fangen /
Lauten schlagen /

Vögel stellen /
 Rügeln schnellen /
 Jungfrauen fällen /
 Verderben manchen Bergesgesellen.

Quod alii ita reddunt: Fische und Vögel nehmen manchen feineren Vogen / quia compertum est multos ejusmodi rebus ad pauperem redactos fuisse. Fische weil du bey dem Wasser bist, quod est, utere occasione dum licet. Im trüben Fischen / *piscari in aqua turbida*, ii dicuntur, qui dum alii rixantur, ipsi suis consulunt commodis nihil hos morantes, sed potius juvantes illorum incommoda. Einem vor den Körben fischen / ad illos pertinet, qui aliis commodum aliquod vel lucrum præripiunt. Vel sexcenta alia huc referri possent, si instituti ratio pateretur. Ad celebritatem etiam piscium pertinet, quod pluribus nomen & insignia dederint: quid? quod & singularis quædam machina *Arca piscis* vocata fuerit, quia sub aquis non secus ut piscis natat, sursum, deorsum, dextrorsum, & prout vult, qui regat, cujus descriptionem ex *Mormio Polyhistori suo literario part. 1. lib. 1. cap. 14.* inseruit, Vir inexhaustæ eruditionis Morhofius, *ἄντ' ἐν ἀγίοις*. De urbibus, castris & vicis hic nihil addam, quæ piscibus nomen suum debent, non vero tacere possum, *Ephesum* etiam originem illis debere. Cum enim urbem hanc ædificaturi incerti essent, quo in loco fundamenta jacerent, Oraculum consuluerunt, quod respondit, hic urbem illos condere debere, *ubi piscis demonstrasset, aperque docuisset*. Est autem fama, quod ubi olim erat *fons Hypelaus*, portusque sacer, pisces quosdam prandium parasse, tum quendam e piscibus cum carbonibus exiluisse, atque in palearam fasciculum decidisse: In censo hinc continuo cespite, in quo aper agrestis forte latitabat, hunc igne perterritum, magnam montis partem percurrisse eo usque ubi *Trachea* postea, jaculoque vulneratum concidisse ubi *Palladis* templum fuit. Tum insulam occupantes Ephesii, cum annos viginti & unum eam habitassent, *Tracheam* vigesimo secundo condiderunt & *Corissum*, *Dianaque templum* in foro, & *Pythii Apollinis* in portu. *Athenæus lib. 8. cap. 11.* E familiis qui cognomina à piscibus sumserunt, facile primum merentur locum **PISCICULI** apud Romanos e gente *Junia*, quibus alii *Cornelianam* ad-

addunt. De Juniis non est dubium. Novimus enim de *Junio Pisciculo* ex Appian. *lib. 4.* illum a Triumviris proscriptum, à liberto vero servatum fuisse. An idem ille sit cum *Junio Pisciculo* Equite Romano, qui ad *Ædem Felicitatis* unam *Thespiadum* amavit, ut ex auctoritate Varronis tradit Plinius *lib. 36. c. 5.* non satis habeo compertum. Diversi illi tamen sunt a *Pisciculis* Tiberii, qui ita pueros primæ teneritudinis, ut loquitur Suetonius *in ejus vita c. 4.* appellavit, quos natanti sibi ad turpissimam libidinem paratos esse voluit. *Muranarum* etiam & *Auratorum* nomina, a murænis & auratis, quarum piscatu gloriati sunt, gentem *Liciniorum* & *Sergiorum* nobilitarunt. Nec nostra tempora illustribus familiis a piscibus denominatis carent. Celebrantur enim inter Magnates Hispaniæ *Marchiones de Pescara*, *Piscarii* *Famiano Stradæ*, qui è familia de *Avila* à Comite *Blosio* sub Alfonso VIII. in Castilia regnante militaribus facinoribus eximii in *Mauros* famoso derivantur. Nec minor nobilitas *Marchionibus de Carpo*, è famosissima gente de *Haro*. *Salmonum* nomen *Comites de Salm* apud Nostrates, qui vero jam, ni fallor, Principali fulgent dignitate illustrarunt: *Carporum* die von *Karpen* / quorum jam anno 1491. in hastiludio trigesimo *Heidelbergæ* habito, inter antiquissimæ nobilitatis viros fit mentio: *Percarum* die von *Barsperg* / quorum etiam perantiquum & frequens in ludis tournamentorum, ut vocantur, est nomen. *Piscibus* etiam nomen debent *Conradus Visehius* J. U. Doctor, quem Nicolaus Mameranus *in Catalogo familia Aula Cesarea*, tempore Caroli V. Imperatoris, inter Consiliarios seculares *Electoris Moguntini* refert. *Hermannus à Fischenich* / Præfectus in *Brula*, ab eodem inter Consiliarios *Colonienses* relatus. *Simon Fisch* Anglus, inter Eruditos Angliæ, regnante Henrico VIII. à *Burneto* *in Historia Reformat.* Henrico *Whartono* *in Anglia sacra* & Antonio à *Wood* *in Athenis & Factis Oxoniensibus* collecto, qui ingenii ejus monumenta consignarunt, non ultimum meretur locum. *Carolus von Fisch* / ni fallor, Ordinis *Cisterciensis*, scripsit enim *Bibliothecam Scriptorum Ordinis Cisterciensis, elogis plurimorum, maxime illustrium, adornatam.* Piscium insignibus præcipue est insignis clypeus *Ducum Wirtembergicorum*, cui bini flavi pisces in campo rubro inscripti sunt: Urbis *Onolsbacensium* in *Francia*, *Marchionum* sede nobilitatæ, qui tres caruleos pisces

in cineritio rivo ostentat: Nobilium *Rieterorum* Norimbergæ qui coronatam virginem binis piscibus utroq; latere in campo nigro & flavo additis producit. Sufficiant hæc: De aliis enim loqui angustiâ chartæ excludor. De *Piscibus* tandem finiam, si unum hoc tantum addidero, *Societates piscium* olim inter Nobiles fuisse, cujus rei argumentum est *Societas piscis & falconis* in hastiludiis, quam in partibus Sueviæ producit Georgius Ruxnerus Auctor libri *de Hastiludiis pag. 168.*

Ad CLAROS FISCHEROS sive *Piscatores* tandem ut *te* mea conferat Dissertatio, de vocis *Piscatoris* varia significatione hoc prius monendum censeo, Græcos differentiam ejus, quam Latini uno vocabulo confundunt, mira felicitate distinguere. Proprie enim illis sunt ἀλιεῖς καὶ θαλασσεῖς piscatores qui in mari & qui singulari epitheto ἀλίκτηπι dicuntur, αἰγιαλεῖς qui ad litora, ἀμφιβολεῖς qui τῷ ἀμφιβλήσει retis sc. genere ad circumdandum, σωληνισαὶ qui σωληνας pisces, ὀρμευταὶ qui cum virga, σαγηνεῖς, σαγηνευτήρες ἢ σαγηνευταὶ qui sagena, retis genere piscantur: ὀρμιμβόλοι qui lineam piscatoriam τὴν ὀρμιάν in aquam iaciunt: Τριπεῖς, ἀπὸ τῆς γρίπης qui consuunt & sarciant retia: Δικτυβλάκω ἀπὸ τῆς ἔλκεν qui retia trahunt: λινοπλόκοι qui retia plicant sive complicant. Quæ vocabula, etsi deinceps etiam ad quosvis piscatores trahantur, singulari tamen cum efficacia id quod denotant explicare videntur, & genera piscatorum eleganter distinguere. Nomini illorum multa insignia Antiquitatis monumenta debemus. Illi enim sunt qui aureum tripodem invenerunt, qui sapientium Græcorum κατ' ἐξοχὴν sic dictorum modestiam multum ac diu tentavit. Quia vero hæc res varie a Scriptoribus traditur, quorum alii piscatoribus Milesiis alii Atticis illam adscribunt, brevi narratione historiam è Diogene Laertio, qui illam in *Thaletis vita* tradidit, optime contexam. Plerique, inquit Latinus interpres, a *Periandro ad Thrasybulum Milesiorum Tyrannum ornustam*

missam navem missam referunt. Ea vero cum circa Coum mare naufragium fecisset, inventum post a piscatoribus tripodem, qui ea vehebatur. Phanodicus vero circa mare Atticum repertum, atque in urbem delatum scribit, factaque contentione, ex decreto publico Bianri missum. Alii a Vulcano fabrefactum tradunt, ac pro munere Pelopi a Deo datum, cum ille uxorem duceret. Demum ad Meneolaum pervenisse, raptumque cum Helena ab Alexandro in Coum mare fuisse coniectum, Lacena rixarum causam fore asserente. Postea cum quidam illis Lebedii retis iactum mercari essent, tripodam quoque fuisse comprehensum, & cum exorto cum piscatoribus iurgio Coum ascendissent, nihilque proficerent, Miletum, quae erat metropolis, eam rem detulerunt. Missi à Milesiis legati qui eam componerent, infecto negotio reversi sunt. Milesii ut se contemptos viderent, adversus Coos armis decernere parant, plurimisque hinc inde cadentibus, divino oraculo responsum est, sapientissimo dandum tripodam. Mox in Thaletem utraq; partes consenserunt. Hunc ille postea Didymaeo devovit Apollini. Pari felicitate alii Piscatores annulum Polycrati ventriculo grandioris alicujus piscis inclusum, mari traditum reddidere, quae vero nimia felicitas Samiorum Regi male cessit. Annulus ille mihi alium quendam in memoriam revocat, quo Pontifex Romanus in obsequiandis, ut loquuntur, *Brevibus & Bullis Apostolicis* utitur. Vocatur ille singulari vocabulo *Annulus Piscatoris*, quia Pontifex se successorem Petri jactat, qui non tantum piscatoriam ipse exercuit, sed etiam Christo interprete *Matth. 4. 19. Marc. 1. 17. Luc. 5. 10.* cum aliis Apostolis nomen *Piscatoris hominum* commune accepit. *Annulus* vero iste *Piscatoris* linteum esse dicitur album, quod in formam annuli dextra gerit Papa; ex Schikardi *Itiner. Ital. Joh. Theod. Spreng. Rom. nov. lib. 1. c. 5.* Sed de annulo isto haecenus. Non infimum etiam inter *Piscatores* locum merebitur ille, qui *Xerxem* calamitate & panico terrore trepidum scapha sua excepit, & in *Asiam* vexit. Quod tamen, licet communis ita Scriptorum ferat opinio, negare videtur *Herodot. lib. 8. Xerxem* pedestri itinere cum copiis in *Asiam* rediisse affirmans, & cum de piscatoria scapha omnino taceat, non tamen illi etiam vero videtur simile, illum exercitu *Hydarni* permissio, unice navi eaque *Phoenissa* *Hellespontum* trajecisse. Pessimus vero ille habitus *piscator* qui *Tiberio*

Capre-

Capreis sibi secretum agenti, teste Svetonio in *Tiber.* cap. 60. grandem mullum inexpectato obtulerat. Perfricari enim eodem pisce faciem iussit: territus, quod is a tergo insulæ per aspera & devia irrepsisset ad se. Gratulanti autem inter pœnam *piscatori*, quod non & locustam, quam prægrandem ceperat, obtulisset, locusta quoque lacerari os imperavit. Ita spe sua excidit miser ille *piscator*, & simplicitati animi pessime illusus *Caldius* ille *Biberius*. Majorem licet jam mortuus ab Imperatore etiam majoris animi retulit gratiam *piscator* Bierfietanus *Guilielmus Bokholt*, quem alii, male vero *Beukelens* sive *Buckeld* appellant. Hic enim ille est, qui anno 1356. primus haleces murta & sale condire & ad extera loca transmitters docuit. Quod hominis inventum tanti fecisse Carolum V. Imperatorem Laurentius Beierling in *Opere suo Chronologico* refert, ut cum anno superioris seculi 56. Idib. Augusti Bierflitum appulisset, cum sorore *Maria*, *Ungaria Regina*, sepulchrum ejus ipse adierit, salutariaque ipsius manibus fuerit precatus. Nec *Piscatorum* tam vile nomen, ut non adeo Reges illud professi fuerint. De ultimo enim *Jacatra* Rege in *Java majore*, cujus postea metropolis *Batavia* nomen sortita est, memorant rerum Indicarum Scriptores, quod ille regno exutus ab Hollandis, omni spe illo iterum potiundi abjecta, se cum familia sua ad Insulas minores *Java* vicinas contulerit, & ibi sorte sua contentus, nullisque obsessus hostibus piscatoriam diu exercuerit. Piscatus igitur cum multum etiam animo recreationis molestiæ parum afferat, non est mirum quod apud gentes nobilissimas in honore fuerit, ipsique Principes *Piscatores* evaserint. Apud Veteres *Dictys* cujus *Staius*, & *Herminius*, cujus *Silius* meminit. *lib. 5.* nomen egregiorum *Piscatorum* obtinuerunt. *Augustus* etiam pertica piscari solitus fuit, & de *Nerone* Svetonius in *eius vita* narrat, aureis retibus, cujus lintea purpureo serico contexta erant in piscatu eum usum fuisse. De *M. Antonio* vero Plutarchus in *eius vita* refert, quod ipse *Piscator* in *Ægypto* factus cum *Cleopatra* contenderit, quisnam hamo felicior pisces plurimos aquis extrahere posset. Cum enim aliquando piscaretur Antonius, nihilque capere posset, præsentem *Cleopatra*angebatur. Jubebat igitur *piscatores* clam submersos hamo quem demi-

demiserat, pisces antea captos appendere. Hoc modo bis vel ter præda capta non latuit Ægyptiam: admirari illa primo simulabat, deinde amicos rogare ut spectatum adessent. Conveniunt frequentes postridie, scaphas conscendunt, demittit hamum Antonius, piscaturq; non insolita arte. Regina vero cum bis aut ter celeriter Antonius jam pisces traxisset, quendam ex suis prævenire jubet, hamoq; Antonii piscem sale & fumo jam olim servatum affigere. Antonius prædam à suis appensam ratus, arundinem sustulit. Admirati primo omnes, inde re cognita vehementer risers. Tunc Cleopatra comiter, *velinque*, inquit, *Imperator*, *calamum nobis Canopeis & Phariis Regibus, non enim hac tua præda, sed urbes, litora, Reges, nationes.* Cum hic ANTONIUS pisces jam captos (gefangene Fische) iterum ceperit, vel potius ab Urinatoribus appensos extraxerit, è simili ejusmodi casu proverbium illud, quod Nostri dicunt, si rem incertam & valde dubiam volunt explicare: *Es synd noch ungefangene Fische* / originem mihi duxisse videtur. Ad illustres ejusmodi *Piscatores* etiam suo merito refertur *Aug. Gislén. Busbequius* nobilis ille *Ferdinandi I. ad Solimannum* Legatus, qui se piscatu in fluvio *Haly Lydia* mirè delectatum fuisse *Epistol. 1. legat. Turc.* scribit, neq; hoc infeliciter. Barbara stoliditas cachinno quidem excepit illius solertiam cum alio loco fundulos deducto rivo captaret, sed cum, teste ipso *Busbequio*, *Turcia tota paucos habeat piscatores*, nullum aliud certius arrogantiae ac inertiae signum quam illud stupida & insipida gens dare poterat. Hinc etiam cum cultiores populi piscatorum studia tam avide sectati fuerint, factum esse arbitror, ut Romani Fastis suis *Piscatorios ludos* inseruerint. Peragebantur illi VII. Id. Junii trans Tiberim à Prætoře urbano pro *Piscatoribus Tiberinis*, quorum quæstus non in macellum perveniebat, sed fere, testante *Festo*, in aream *Vulcani*, quod id genus pisciculorum vivorum datur ei Deo, pro animis humanis. *Piscatorum ludorum* etiam sic meminit *Ovidius*.

*Tertia post Nonas removere Lycaona Phæbe
Fertur, & à tergo non habet Ursa metum.
Tunc ego me memini ludos in gramine campi
Aspicere, & dici, lubricæ Tibri, tuos.*

D

R. A.

Festa dies illis, qui lina madentia ducunt
Quiq; tegunt parvis ara recurva cibis.

Cum igitur *Piscatores* suos haberent ludos, merito etiam illis peculiarem Deum adscripsit pagana antiquitas. *Pana* enim coluerunt *Piscatores*, quod in locis mari vicinis plerumq; versari habitus sit, quem etiam *ἀλίπλαγκτον* sive per mare vagantem Sophocles in *Ajace* appellavit. Colebatur ille in promontoriis præcipue, quæ mari alluebantur, offerebatur huic lac & mel in pastorum poculis, quod Theocritus eleganti carmine in *Viatoribus* expressit, cuius versionem Latinam hic apponimus.

Pani octo statuam spumantis pocula lactis,
Totq; scyphos, cum melle favos ceramq; tenentes.

Et hunc cultum *Pani* ideo cessisse arbitror, quod & in pugna Deorum contra Titanas *Typhonem* dicatur retibus implicuisse, & *Orpheus* *Pana* universam naturam esse affirmet, quæ etiam in pisces vim suam exserit. Non possum hic festivissimum *Piscatoris Siculi* dictum silere, quo ille *Pro-Consulis Suræ* petulantiam egregie repressit. Erat hic *piscator* *Suræ* vultu, lingua (nam uterq; sibilo pronunciabat verba) totoq; corpore ita similis ut ovam ovo magis esse non posset. Hunc igitur aliquando ludere cupiens; non memini, inquit, patrem meum unquam in *Sicilia* fuisse: At ego, respondit ille, patrem meum *Romæ* fuisse bene memini. Quo responso prudenter satis nec minus intrepide crimen matri suæ à *Suræ* intentatum, in *Pro-Consulis* genetricem ipse convertit. Sed si hic prudenter, alius contra se satis stolide gessit, qui proverbio, *Piscator cum aureo pisce*, causam dedit. Cum enim *Piscator* quidam de quo *Theocritus in Idyll.* scribit, somniasset, quod aureum piscem cepisset, & inde juramento se obstrinxerit, se piscatoriam deinceps exercere nolle, miser ille expergefactus, divitiis mente conceptis se carere vehementer doluit, & de juramento anxius, diu arte solita uti desiit, sed necessitas pauperie tandem coactum absolvit & ita ad institutum docuit reverti. Utimur vero hoc proverbio de illis, qui vana spe vel seipfos vel alios lactant, magnasque res animo moliuntur, quarum eventus tamen plerumq; infeliciter cadit: Ita ut, si juxta monitum alius brocardici, *Piscator ictus non sapiat*, nec vanitate sua delusus ad meliorem mentem redeat, de salute ejus conclamatum esse videatur.

Inter

Inter illos deniq; qui nomen à *Piscatoribus* ducunt, me quidem iudice, primas facile partes tenet HALYATTES Lydorum Rex, cuius vitam & gesta Herodotus multis persequitur. Hujus enim nomen mihi non absurde videtur derivari posse ἀπὸ τῆς ἀλιάδος ἢ cymba piscatoria, quod ipsum ἀπὸ τῆς ἀλῆς, utrumq; vetero ἀπὸ τῆς ἀλῆς descendit. Mutatio τῆς δ in geminum τ nullum hic dubium creare potest, cum illa etiam frequens sit in aliis vocibus, neq; τῆς in υ, cum & alia ab ἀλῆς derivata illud recipiant, quod videre est in vocibus ἀλυπὸς, ἀλυκότης, ἀλυκίς, ἀλυκώδης & aliis. Sed quid tu, inquires, cum Græca derivatione in Lydia, cum nomen *Halyatta* potius à flumine *Haly* quam à Græca aliqua voce sit derivandum? Græci Jönes, respondeo, non tantum vicini Lydis erant, sed etiam *Craesi* postea imperium, ab eo scilicet devicti, agnoscebant, cum *Halyattes* ipse illorum libertatem antea frustra tentasset. Quid? quod affirmare audeam linguam Græcam in Lydia apud cultiores incolas non minus ut vernaculam fuisse receptam, quod tam è frequenti contubernio *Craesi* cum septem ita κατ' ἐξοχὴν dictis *Sapientibus* Græciæ liquet, quorum amicitiam sibi multis precibus & donis conciliare studebat, quam è nominibus Græcis, hominibus & urbibus additis. Et cum hæc lingua eruditorum propria non tantum in Lydia sed & per omnem Asiam fuerit, hinc etiam factum esse arbitror, ut sacer Codex gentes in Judæos & Græcos, nulla aliarum habita ratione, distinguat. Videmus porro Scriptores tam è Lydia quam ex reliqua Asia oriundos ingenii sui monumenta Græcis literis consignasse, quod è *Xanibi* qui ipse Lydus fuit, *Strabonis* qui Amasinus è Ponto, quin & ipsius *Josephi* & *Philonis* Judæorum & plurimorum aliorum scriptis liquet. Sed ne de *Halyatte* nobis ullum dubium superfit, nomen illud mere Græcum esse, ipse *Halys* vocis suæ originem è Græcia petit. Audiamus *Strabonem* libr. 12. qui illum nobis ita describit: *Deinceps*, inquit Latinus interpres, *sunt Halys fluminis ostia, nomen habentia a salibus quos præterfluit.* In sequentibus etiam locum determinat ubi sal reperiatur, a quo nomen ducit: *In Ximina*, inquires, *sunt sales fossiles a quibus Halym flumen dici putant.* Cum enim *Halys* tot gentes vel origine vel sermone Græcas præterfluat, qui excursionem circa Trojana tempora facta totam Asiam teste *Strabone*

hunc eodem loco, replerunt, quid mirum si ipsi nomen Græcum inditum fuerit. Eadem etiam ratione Cluver. *Sicil. antiqu. lib. 1. cap. 18.* Ἀλυκὸν ποταμὸν in Sicilia, & oppidum eodem nomine fluvii fontibus appositum a maris falsugine derivat. Ex iis igitur quæ diximus satis patet nomen *Halyatta* Græcum esse, & cum maxima illi cognatio cum voce ἄλιος sit, quæ ipsa ab ἀλιός descendit, haut immerito a *Piscatoribus* originem habere. De *HALIENA* gente Romanorum celebri, ego idem fere arbitror. Cum enim illa in Pelignis maxime fuerit nobilis, & ut auguror, ex illis oriunda, Peligni vero aut partem Magnæ Græciæ olim fecerint, aut illi vicini fuerint, quid? quod & maxima pars urbium Italicarum Græcos habuerit conditores, teste Solin. C. 7. facile etiam potuit fieri, ut nomen Græcum ab antiquis retinuerit auctoribus. Nam si integræ nationes apud Græcos nomen à *Piscatoribus* duxerint, quidni & familia aliqua, quæ fortasse Græcis parentibus ortum debebat. *HALIES* quos *Piscatores* interpretatur ipse Strabo *libr. 8.* inter Argivos notissimi fuerunt, habitantes litora circa Hermionem, maritimisq; exerciti negotiis. Non minor fama *EXONIORUM HALIENSIVM*, quos *libr. 9.* idem *Piscatores* explicat, & in Attica regione ponit. Hi omnes maritimis exercitiis inclaruerunt, & tam piscatoria quam nautica arte famam sunt adepti. Quid si ex *HALIEBUS* aut *HALIENSIBUS* aliqui in Italiam migrarint, quod ipsis nautica arte celebribus per fuit facile? Quid si quidam ex illis, cum Italia Græcis non minus quam Græcia ipsa patria esset, se ad Pelignos contulerint, agrosq; coluerint illorum, an hinc aliquid factu difficile, vel prorsus non possibile sequeretur? Quæ tamen cuncta nemini credenda obtrudo, cum ipse ea conjecturarum nomine vocari velim. Qui meliora noverit, sequatur illa per me licebit. De gente *HALIENA* interea quæ habeo, paucis explicabo. Videtur vero illa plebeja fuisse. *L. HALIENUS* enim A. U. C. 299. auctore Livio *libr. 3.* Ædilitatem Plebis gessit, cum anno superiori Tribunus Plebis fuisset. *M. HALIENUS* Pelignus à Scipione Æmiliano, cæso hoste, in acie servatus est. Cicero *Tuscul. 4.* *A. HALIENUS* primum Legatus *QV.* Ciceronis in Asia fuit, ut testis est Cicero ad *Q.* fratrem scribens *Epist. libr. 1.* Prætor tempore belli civilis Cæsaris partes secutus est.

est, sub quo Pro-Consul etiam Siciliam tenuit. Cic. *ad Famil. libr.* 13. *Ep.* 79. A. Hirt. *de bell. Afric. c.* 2. & 34. ubi illum tamen ALLIENUM vocat, & hinc est quod Glandorp. *in Onomast. Roman.* ubi de ALLIENIS agit, illos eisdem cum HALIENIS esse putet, ita, ut qui prioribus temporibus HALIENI, posterioribus ALLIENI sine aspiratione & l. geminato vocati fuerint. Eundem tamen Cicero semper HALIENUM appellat, uti *ad Attic. libr.* 10. *Epist. antepen.* & *Philipp. II.* ubi illum familiarem & necessarium suum nominat. Legatus Dolabellæ Cos. adductas ex Ægypto legiones quatuor Cassio tradidit, ipso Cassio teste in *Epist. ad Cicer. libr.* 12. Agit de illo etiam Strabo *libr.* 16. Dio Cass. *libr.* 42.

Ad PISCATORES jam nostra secula qui propius tangunt quod attinet, habuit & habet etiam hodie Germania nostra suos PISCATORES & FISCHEROS, habuere etiam alii in Europa populi; in primis vero Angli, qui nomen hoc à Majoribus suis Germanis religiosissime retinent, *Piscatoribus* etiam usq; adeo favent, ut singulares dies habeant institutos quos *piscium* vocant, quibus à carnibus abstinent, ut non tantum semina animalium conserventur, sed etiam *Piscatores* lucro suo ne careant, quæstumq; ex arte aliquem capiant. Church. *in Honoyl. de Jejun. part.* 2.

Inter Nobiles adeò etiam FISCHERI nostri referuntur. Meminit enim Georg. Ruxner. *in Hastilud.* 24. *Heilbrunna* 1408. habito, inter primæ nobilitatis viros WILHELMI Fischeri / cujus majores sine dubio jam diu (regulæ enim horum ludorum hoc requirunt) hunc splendorem tuiti fuerunt. JOHANNES Fischer Episcopus Roffensis in Anglia & postea Cardinalis, B. Lutherum multis libris editis impugnavit, unde etiam acerrimus apud suos audit fidei defensor. Sed is tandem jussu Henrici VIII. cum divortium cum Catharina Regina non probaret, securi percussus est Londini anno 1535. Quenstedt *in Patr. Illustr. Viror.*

SEBASTIANUS Fischer / Cancellarius Comitatus Oettingensis Martini, & ejusdem Legatus in Comitibus Augustanis anno 1547 & 1548. à Carolo V. Imperatore habitus. Mameranus *in Catalog. Famil. Aul. Cesar. p.* 116.

JOHANNES Fischer / quem Angli sermone suo *John Fisher* appellant, inter Eruditos Angliæ, qui tempore Regis Henrici VIII. claruerunt, à Burnetio & aliis relatus, fortassis idem cum Episcopo & Cardinali

FISCHERO, cujus jam mentionem fecimus. Alius qui-
 dara illi ἰσχυροῦς. JOHANNES Fischer / de quo, an *Anglus* an
Belga sit, affirmare non audeo, Theologus fuit celeberrimus, cu-
 jus scripta Belgico potissimum sermone circumferuntur, quorum
 pars etiam ob singularem in pietate & Theologia morali usum,
 Germanos invenit interpretes, nempe: *Sitten-Kunst über das 12.*
Capitel an die Römer. Heidelberg 1692. Christliche Herzbe-
 wegende Betrachtungen denen Gläubigen zum Trost / denen Gottlos-
 sen zum Schrecken / und einem jeden zur ernstlichen Aufmunterung
 seiner schuldigen Pflicht gegen GOTT / sich selbst und seinen Nächsten
 heilig nachzuleben / übersetzet und vermehret durch Johann Dieterici.
 in 8 Leipzig 1692. SAMUEL Fischer *Bohemus*, primum
 Schmalkaldiae Cantor & Diaconus, deinde Silusii & Burkbrei-
 tungæ, post Schnebergæ, Olsnici, Messenæ & Schlakkaverdæ
 Ecclesiastes, tandem S. Theol. Doctor ac Superintendens Jenensis.
 Obiit anno 1600. d. 23. Junii, ætatis 53. Auctor est Disputationum
 aliquot & Concionum. Henning. Witten. *Diar. Biogr. part. 1.*
 PETRUS von Fischer / Consul Reipubl. Embdensis in Frisia O-
 rientali, qui sub finem præcedentis & initium hujus seculi vixit.
 Meminit ejus Salom. Frencelius *part. 2. Epigr. lib. 2. Sacror.* ubi il-
 lum Magnificum & Optimum Virum, & *Dedic. lib. 5. Miscell.* ubi
 Patriæ Columnam eum vocat. ROMER Fischer *Belga*,
 Amstelodamensis Poëta, dictus *Martialis Belgicus*. Obiit anno
 1620. d. 11. Febr. Poëmata plurima lingua vernacula composuit.
 Witt. *part. 2.* Ad hæc etiam tempora refertur NICOLAUS
 JOHANNES Fischer / *Belga*, primus fere Auctor elegantiorum
 Tabularum Geographicarum, quas nitido, ut tunc tempora erant,
 stylo ære expressit. JOHANNES PISCATOR *Ar-*
gentoratensis, ad Reformatorum castra transit, cum prius cum E-
 vangelico-Lutheranis sensisset. Magni nominis Theologus inter
 suos factus est, doctrinamq; illorum multis ingenii monumentis il-
 lustravit. E scriptis suis primum locum obtinent Biblia, in verna-
 culam nostram conversa, quæ singulari nomine *Biblia Piscatoris*
 vocantur, & tanto apud Reformatos in honore sunt, ut prelo sæ-
 pius fuerint iterata. Reliqua ejus scripta maximam partem pole-
 mica sunt, & si ex iis divinari licet, doctrina de Prædestinatione
illi

illi toties à nostris exprobrata, fecit, ut multum in ea desudarit, haut tamen sibi ipsi, ut videtur, satisfecerit, quod liber ejus de *Prædestinatione contra Schafmannum* testatur. An etiam Auctor *Commentarii in Horatium* sit, qui *Spira* anno 1595. excusus, *Piscatoris* nomine circumfertur, ego quidem non possum affirmare. Decessit tandem *Herbornæ*, ubi diu Professoris munere est functus, anno 1625.

Huic é nostris opponam PETRUM PISCATOREM, cujus Epitaphium hic, quia magnam Elogii ejus partem completitur, è *Henning. Witten. Memor. Theolog. Decad. 1.* apponam. *Petrus Piscator Hanoviensis, Philosophiæ & Theologiæ Doctor, atque Professor (in Academia Jenensi) celeberrimus: linguarum Hebrææ, Chaldaicæ, Syriacæ, Græcæ peritissimus: Disputator acutissimus: Orthodoxa ac Lutherana Religionis contra Pontificios & Sacramentarios defensor acerrimus: Vir ingenio, doctrinâ, iudicio, pietate, humanitate ac benignitate præstantissimus: Natus Anno supra sesquimillesimum LXXI. septimo die Aprilis, postquam animadvertit, sibi ex hac Academia in caelestem migrandum esse, ipsemet in concione sua funebri proposuit explicandos versus duos ultimos Capituli VIII. Epistola ad Romanos: Atque anno M DC XI. die X. Januarii in Christo placide obdormivit, cum vixisset annos XXXIX, menses IX, dies III. Orationem parentalem funere elato habuit M. Hippolytus Hübmeier, qui negotiorum causa Jenam adierat, cum jam designatus Rector apud Geranos esset, qui in Pædagogio etiam Gottingensi Pædagogiarcho fidelissimus meruit. E scriptis Petri Piscatoris præcipue celebrantur: *Articulus de Baptismo Conclusionibus 206. comprehensus Theologicis: Jenæ 1606. in 4. De aeterna Prædestinatione salvandorum, sive electione aeterna filiorum Dei ad salutem, adversus D. Samuelem Huberum & Calvinistas. Francofurti 1607. in 4. Problemata sacra e scripturarum divinarum fontibus desumpta. Jenæ 1609. in 4. De Studiis Theologicis rite conformandis & instituendis Oratio. Ibid. 1610. in 4. Commentarius in formulam Concordiæ, disputationibus aliquot in Acad. Jenensi propositus & discussus. Ibid. 1610. in 8. & Lipsiæ in 4. & 8.* JOHANNES PERSEUS alias Fischer / *Anglus, Dunelmensis, S. J. Theolog. Lector Lovaniensis, Missionarius aliquoties in Angliam. Vulgavit Anglice librum de Fide. Defensionem Ejusdem contra duos ministros Worttonum & Vi-**

tum. *Librum, quo provocat Protestantes, ad ostendendam continuationem suorum Prædicantium successionem, a temporibus Christi, prout Catholici ostendunt de suis. Responsionem ad IX. Articulos controversos ipse a Rege Jacobo propositos. Vivis excessit anno 1641. d. 3. Decembris. Witten. Diar. Biogr. p. 1.*

ALEXANDER Fischer / Anglus, Collegii Mertonensis Oxoniæ Socius. Scripsit *Theologiam Scholasticam & alia. Naturæ debitum solvit anno 1671. d. 22. Octobr. ætatis 76.*

M. CHRISTOPHORUS Fischer his quoq; temporibus claruit, quem Wolfg. Caspar. Prinz. in *Histor. Music. Cap. 13.* optimis Germanorum Poëtis, qui singularem in cantilenis sacris pangendis Ecclesiæ navarunt operam, annumerat.

JOHANNES Fischer apud Eund. *cap. 12.* in Catalogo excellentissimorum nostri temporis Musicorum, qui in Melopœia laudem ac famam consecuti sunt, locum haut meretur infimum.

NICOLAUS Fischer / Belga, Auctor elegantissimarum Tabularum Geographicarum. Floruit anno 1670. & seqq. artis paternæ (*Nicolai Johannis enim filius esse videtur, cujus supra mentionem fecimus*) ex asse heres, quam etiam propria industria ita excoluit, ut inter optimas fere seculi nostri tabulæ ejus commendari soleant.

CHRISTOPH. Fischer / Germanus S. J. Qui in prædiis colendis (sunt verba *Eru- dit. Lipsiens. in Act. 1683. mens. Mai.*) operæ plurimum studiiqve consumpsit, amplissimisq; quæ Societatis suæ Viri per Bohemiæ regnum possident, per plures quam quadraginta annos præfuit. Edidit *Oeconomia suburbana Partem 1. Pragæ 1670. in 4.* Eiusdem est *Oeconomia Pars 2. eaq; posthuma Pragæ 1683. in 4.* quibus, quam sibi tot annorum experientia comparare potuit in *Oeconomia rerum notitiam complexus est, quorum argumenta d. 1. Lipsiensis Actis suis inseruerunt. Librum hunc utilissimum etiam Germanico idiomate interpretatum nuper hoc titulo vidimus. Christoph Fischers S. J. Fleißiges Herren Auge / oder wol ab- und an- geführter Haushalter: das ist / gründlich und kurz zusammen gefasster Unterricht / von Bestell- und Führung eines nütz und einträglichen Landlebens und Wirtschaft / mit Kupffern gezieret in 4. Nürnberg 1690.*

De GRAN-PISCATORE extat Calendarium aliquod solo mihi titulo sermone nostro cognitum:

Gran-

Gran-Piscatoris von Chiaravolle allgemein Almanach auf das Jahr 1691. aus dem Italianischen ins Deutsche getreulichst übersetzt in 16. Nürnberg 1691. sed si denon visis iudicium ferre licet, mihi quidem nomen istud fictum & Calendarium à Germano quodam suppositum esse videtur.

Nec pietas in Decessorem permittit, ut hic omittam JOHANNEM GEORGIUM Fischer / qui officio meo, quo jam ipse in Electorali Pædagogio fungor, *Clausthalio* Cheru-
 scorum huc vocatus, postquam Scholæ ejus Conrectoratum fide-
 lissime sustinuerat, per duodecim fere annos, omnes muneris sui
 partes optime implendo, præfuit. Erat ille dum viveret rara
 in terris fide & probitate, nec triviali (ut de reliqua eruditio-
 ne taceam) scientia Musicæ præditus, in qua etiam elegans & per-
 spicuum satis *Compendium* concinnavit, typisq; vulgavit. Spar-
 tam egregie ornando, tandem cum aliis inferviret, ipse præmatu-
 ro fato consumtus est anno 1684. d. 4. Augusti, ætatis 39. De FI-
 SCHERIS qui vita excefferunt hætenus.

Ex illis, qui vi-
 ta adhuc fruuntur, merito hic sibi locum vendicat JOHANNES
 Fischer / Superintendens per Livoniam Generalis, Pro-Cancella-
 rius Academiæ Dorpatensis & Theologiæ Professor, quem Møl-
 lerus in *Isagog. ad Histor. Cherson. Cimbr. Part. 4. C. 12. Th. 22. EPI-
 SCOPUM LIVONIÆ* appellat, quiq; ab *Horbio* (quem nuper ad
 Superos migrasse audivimus) *Hinkelmanno* & *Winklero* Pastoribus
 Hamburgensibus in causa Collegiorum Pietatis privatorum consul-
 tus, Responsum iis dedit, quod cum Actis controversiæ hujus no-
 tissimæ typis vulgatum est. Deus illum diu superesse & rem feli-
 citer gerere sinat.

Comitem huic addam LÆVINUM
 Fischer / Med. Doctor. & Archiatrum Anhaltinum, Virum maxi-
 mæ in re Medica existimationis, quem etiam *Joachimus Mehovius*
 D. & Consiliarius Anhaltinus in peculiaris ad illum carminis inscri-
 ptione *Polyhistorem* celeberrimum vocat. Concinnavit enim, ne
 sacratissimæ Themidis Sacerdotes *Corpore Juris* soli gloriarentur,
Corpus Medicina Imperiale, quo etiam nobilissimæ huic scientiæ cer-
 ta constarent principia.

Seriem claudat EBERHAR-
 DVS JOHANNES Fischer / Primarius Ecclesiæ Holsatorum
 Schönbergensis Antistes, Vir pietate & eruditione præclarus,
 quem etiam nuper adhuc vivere fama erat. Et hæc sunt, quæ
 E de

de FISCHERIS mihi in tumultuaria lectione se obtulerunt, quorum plurimos superesse, qui hic sibi locum non minori celebritate vendicarent, facile credam. Sed ut etiam V. M. R. ad Majores Tuos veniam, qui suo merito inter primipilos CLARITATIS FISCHERIANÆ ponendi fuissent, si pati potuissem, TE ab illorum latere avelli, familiam hic fere ducere video CHRISTOPHORUM FISCHERUM, Theologum Consummatum & Lyneburgensium Superintendentem Generalem, quem *Salomon Frencelius & Fridenthal*, in Academia Julia Ethicæ Professor Ordinarius, cujus jam in præcedentibus facta est mentio, in Epigrammate Panegyrico, quod tumulo ejus dicavit, EPISCOPUM Ducatus Lyneburgici vocat, Proavum Tuum omni mea celebratione majorem. Genitorem ille habuit JACOBUM FISCHERUM, Virum multis nominibus laudandum: Et quo ad res gravissimas aptior fieret, Witebergæ usus est contubernio & convictu Magni nostri LUTHERI, qui illum etiam cum communi Germaniæ nostræ Præceptore MELANCHTHONE magno amore absens complexus est. Non florentissimis Ecclesiæ nostræ temporibus, sed cum dura adhuc initia illam undiq; premerent, Magnus ille Antistes ut prudens gubernator ad clavum sedit, & se fortissime insultibus opposuit inimicorum. Semiseculum in officio & matrimonio illi, singulari & raro Dei beneficio, quod non facile cuidam contigit, vivere datum est: quo elapso obiit tandem septagenario major. De virtute Viri testantur scripta, quibus puriorem pietatem adjutum ivit: quorum ego Catalogum hic contexere nolo, sed tantum bina producam ex iis monumenta, quæ legentibus se hoc titulo offerunt: Christoph Fischers Kinder-Postill. in 8. Leipzig 1616. Ejusd. Auflegung des Catechismi. Ulzen 1592. in 4. Qui hæc saniore oculo inspexerit, animoq; pio legerit, mecum fatebitur, nihil planius, & quod solidæ pietatis viam clarius monstret, vel scribi vel legi potuisse.

Tanto nomine & Patre dignum se præbuit Filius *ἐπίσκοπος* CHRISTOPHORUS FISCHERUS, Ephorus primo & Informator per sedecim annos sex Principum in Aula Lyneburgica, dein vero Consiliarius gravissimus. Non me continere possum, quin Epithalamium ejus hic apponam, quod liberalissime mecum communicavit Celeb. Dn. Justus à DRANSFELD,

FELD,

FELD, Pædagogiarcha Elect. Pædagogii Göttingens. Compater & Collega meus in primis venerandus, cujus nomen jam inter primos nobilioris rei literariæ Vindices Orbis eruditus positum videt & admiratur. Auctor ejus Epithalamii est jam laudatus *Salomon Frencelius* qui illud libro *Erot. & Nupt.* inseruit. Merebitur illud eò magis hic locum, quod libri ejus Epigrammatum paucorum voluntur manibus, & maximam hoc etiam partem illorum confirmet, quæ de Proavo & Avo tuo dixi. Sequentibus vero Distichis comprehensum legitur.

Et quot Te quibus atque modis dicam esse
beatum,

CHRISTOPHORE, Aönio nectare pote
diu ?

Primum Te voluit tali Genitore creari,
Munera cui tribuit pleraq; rara, Deus:
Jussaq; resq; Dei quem CHRISTI sponsa do-
centem

Audivit lustris, doctior inde, decem.
Una qui totidem cum Conjuge svaviter annos
Exegit, pro quot tam bene mille dies !
Ternam cui seriem Lucina videre Nepotum,
Post bis septem ævi lustra peracta, dedit.
Te tali ingenio natura deinde beavit,
Artis quæ nequit nullius esse capax,
Usque adeo, sex ut commissa bis octo per annos
Summa docendorum sit tibi cura Ducum:

Quos hodie partim clypeus, toga candida
partim,

Atque habitu vestit culta Minerva suo.
Denique nunc alio, quo non præstantius, auget
Munere te, vitæ Compare nempe, DEUS.
Compare, quam tibi non plebeo sanguine cretam,
Verum patre bono, & consule, junxit amor.
Quid tibi vel nutu verbisve precantibus optem,
Quod non auspicio Numinis ante tenes?
Sponsa tibi est nondum conjux, nondum ti-
bi proles:

Sponsa igitur conjux fiat & inde Parens.
Hinc SCULTETUS AVUS fiat Socer, & pater
idem:

Hinc nova cœlesti surgat in urbe Schola.
Hæc si dona DEUS postrema prioribus addet,
Te, bone PISCATOR, faustior ecquis erit?

Nec indignus etiam Patre & Avo Filius & Nepos AUGUSTUS
FISCHERUS, in Exercitu Brunsvigio-Lyneburgico Chiliarchæ
Locum tenens, Pater Tuus Nam ut de fortitudine & experi-
entia bellica taceam, in quibus multis palmam præripuit, præci-
pue, testantibus iis qui illum noverunt, à candore, integritate
& probitate commendatur, quæ etsi homini Christiano necessariae
virtutes, in Patre Tuo plus habent admirationis, quo rarius

... fides pietasq; viris qui castra sequuntur.

Ita non degeneravit posteritas Magni CHRISTOPHORI, qui primus nomen illud in familia vestra illustravit: sed si non calamo pro Ecclesia & Curia, gladio tamen pro patria strenue dimicando, virtutis ingenitam vim egregie exseruit. Sic quasi per traducem hæc cuncta ad Te derivata sunt, quorum Tu omnium ex asse heres, avitæ virtutis vestigia magno ardore legis, Majorumque decorem propriis factis studes illustrare. Maçte igitur Tertio CHRISTOPHORE FISCHERE (quod, cum numero ternario mysterium inesse soleat, non sine omine felicitatis dictum sit) tanto profapiæ splendore! Maçte V. M. R. propria virtute! Maçte deniq; hoc novo honoris incremento, cui & ego, sine fuce & lo, accino Romanorum illud FELICITER! Deus T. O. M. Te in vergentis ævi senio, in quo Te ad miraculum usq; vegetum præstitit, novis viribus subinde auctum servet, collatumq; munus cum gloria Te diu tueri patiatur. Vale.

Dabam in Musæo
XV. Cal. Mart.
Anni M DC XCV.

Maxime Reverendi Nominis
Tui

Observantissimus

JOACHIMUS MEIER.

Ad.

Addenda & Corrigneda.

A. i. l. 9. lege Göttingensium. *p. 9. l. 25. & 26. iam. p. 11. l. 12. & 13.*
appetunt. *p. 14. l. 32. pro fere correptum, lege, correptum. p. 19. l. 3.*
confisus *p. 20. l. 14. pertinet. Ibid. l. 19. post vocem, & vicis, lege, e*
quorum numero vernacula sua vocantur Karpzow in Marchia
non procul Brandeburgo, Salm in Alsatia, Biskou in Mora-
via, Fischbach in Silegia ad Boberam fl. pagus etiam in Hassia e-
jusdem nominis, Barsen in Pomerania, Fischdorf non procul
Salfeldia in Thuringia, Fischhaus in Sambia, Borussiae parte.
p. 12. l. 9. & 10. Auratarum. Ibid. l. 21. post verba, fit mentio, lege
quibus etiam annumeramus illustrem CARPZOVIORUM gen-
tem, in Saxonia in primis Superiore nobilem, quæ multis egregi-
is Viris, Cancellariis scilicet, Consiliariis, Professoribus, Do-
ctoribus, Verbi divini Præconibus aliisque præclarum nomen in
orbe spargit erudito, Lipsiæ præsertim, Dresdæ, Halæ, & Mag-
deburgi celebratum. *p. 22. l. 17. σαγνευτήρες. p. 24. l. 7.*
illustit. *p. 33. l. 22. post verba, Hinkelmanno, lege, qui Horbium se-*
cutus d. H. jam labentis mensis Februarii, ob egregiam in linguis
Orientalibus scientiam non sine damno rei literariæ, anno æta-
tis 45. vita functus est. *Ibid. l. 25. post verba, vulgatum est, lege,*
Novissimè, cum Academia *Dorpatensis* mandato Potentissimi Re-
gis SVECIÆ *Parnoviam*, ut majorem claritatem è majoribus ur-
bis maritimæ commodis consequatur, sit transferenda, pietate &
eruditione Celeberrimo huic Theologo in partem curarum cessis-
se è publicis Relationibus didicimus, ut novam hanc Academi-
am, in qua ipse jam CANCELLARII dignitatem sustinet, no-
minis claritate conspicuis dignisq; Professoribus instruat, ejusq;
rei conficiendæ gratia illum jam mense Januario *Parnoviam* profe-
ctum esse.

76/1522 PK

da

m. 5

13.
13.
e
hia
ra-
e-
cul
te.
ege
en-
gi-
oo-
in
g-
7.
fe-
uis
ta-
e,
le-
ur-
&
fi-
ni-
o-
sq;
fe-

Pon 26 1522, QK

ULB Halle 3
002 384 159


1077





Ms. 330/7

DE CLARIS

Nec non de Piscinis,
memorabilia quædam,
& Historie

AD V

MAXIME REVERENDUM

DN. CHR

RUM FIS

Ecclesiarum

Et vicinarum hæctenus
lectorali item Pædagogio

Superintendens Generali
vinciæ ren

DISSERTATIO

JOACHIMI M

GOTTINGÆ, Sumptibus GEORGI



22

65

